

EPISTULA LEONINA

CXXIX

HEBDOMADALE
PERIODICUM LATINĒ SCRIPTUM,
QUOD ĒDITUR
E DOMO EDITORIĀ INTERRETIALI
CUI NOMEN EST
LEO LATINUS



<http://www.leolatinus.de/>

N.B.! EPISTULAS LEONINAS ACCIPIS **GRATIS** ET **SINE ULLĀ OBLIGATIONE**. NAM LEO LATINUS PUTAT HOMINIBUS LATINAM LINGUAM DISCENTIBUS AUT DOCENTIBUS CORDI ESSE VERBA LATINA. **SI TAMEN TALES EPISTULAS ACCIPERE NON VIS, RESCRIBE HOC NOBIS: TUM STATIM NOMEN TUUM EX INDICE ACCEPTORUM TOLLEMUS.**

HŌC TEMPORE DUO FERĒ MILIA HOMINUM LATINĒ DOCTORUM ACCIPIUNT EPISTULAS LEONINAS ELECTRONICĒ MISSAS. EPISTULAS LEONINAS **I-CXXVIII** INVENIES IN INTERRETI SUB HAC INSCRIPTIONE, QUAE SEQUITUR:

<http://ephemeris.alcuinus.net/leonina/>

MAXIMĒ ID CURAMUS, UT COPIAM VERBORUM LATINORUM CONVENIENTER AUGEAMUS ET TEXTŪS MODERNOS CUIUSVIS ARGUMENTI QUAM OPTIMĒ IN LATINUM SERMONEM CONVERTAMUS.

ROGATUR, UT MANUSCRIPTA MITTANTUR VIĀ ELECTRONICĀ. MENDA SIVE GRAMMATICA SIVE METRICA, QUOAD FIERI POTEST, TACITĒ TOLLUNTUR.

EN HABES EPISTULAM LEONINAM
CENTESIMAM UNDETRICESIMAM (129) !

ARGUMENTA

1. MOMO FABULA MICHAELIS ENDE LATINE REDDITA (VI).....04-10
 2. HISTORIA BOMBINARUM (IV).....11-21

**LEO LATINUS OMNIBUS HOMINIBUS LATINITATEM AMANTIBUS
 SAL.PLUR.DIC. S.V.B.E.E.V.**

Cara Lectrix, Care Lector,

maximê gaudeo, quod mihi licet Tibi offerre Epistulam Leoninam centesimam undetricesimam, idque Die Dominicâ Palmarum, quâ celebratur Iesu sollemnis ingressus in Hierosolymam. Idem enim ab Iohanne evangelistâ refertur in hanc urbem vectum esse super asellum sedentem, cum turba multa hominum ramis palmarum acceptis processit obviam ei et clamabat: »Hosanna,/ benedictus, qui venit in nomine Domini,/ Rex Israel«. Sic enim impleta esse verba Isaiae (40,9) et Zachariae (9,9): »Noli timere filia Sion:/ ecce rex tuus venit/ sedens super pullum asinae« (cfr IOH.12,13-15).



*Praeterea apud Lucam evangelistam (LUC.19,39sq.) legimus Phariseos indignatos ad Iesum dixisse: »Magister, increpa discipulos tuos !«. Iesum autem illis respondisse: »Dico vobis, quia si hi tacuerint, lapides clamabunt«. Haec hactenus de hodiernâ Dominicâ Palmarum. Utinam vobis placeant **Momonis Latinae pars sexta** necnon **Historiae Bombinarum quarta**. - Quae cum ita sint, hanc Epistulam Leoninam 129 tolle et lege et laetare et ... **pancraticê vale et perge mihi favere!***

Medullitus Te salutat
 Nicolaus Groß



<http://www.leolatinus.com/>

LEO LATINUS

**Senden ex oppidulo Bavariae Suebicae,
 die Dominicâ Palmarum, d.9. m. Apr., a.2017**



**»MAGISTER, INCREPA
 DISCIPULOS TUOS!«.**
**»DICO VOBIS,
 QUIA SI HI TACUERINT,
 LAPIDES CLAMABUNT«.**
LUCAS

EVANGELIUM SECUNDUM LUCAM 19,39sq.

Et cum appropinquaret iam ad descensum Montis oliveti, coeperunt omnes turbae discipulorum gaudentes laudare Deum voce magna super omnibus, quas viderant, virtutibus, dicentes: »Benedictus, qui venit rex in nomine Domini,/ pax in caelo, et gloria in excelsis./« Et quidam Pharisaeorum de turbis, dixerunt ad illum: »Magister, increpa discipulos tuos !« Quibus ipse ait: »Dico vobis, quia si hi tacuerint, lapides clamabunt«.

MOMO (VI)

aut fabula mirabilis, qua narratur de furibus temporis
deque puellâ, quae hominibus tempus reportavit



FABELLARIS FABULA ROMANICA

QUAM THEODISCE NARRAVIT

MICHAEL ENDE

LATINE REDDIDIT

NICOLAUS GROSS



LEO LATINUS

Prima editio operis originalis facta est a.1973.

CAPITULUM SEXTUM

Ratio est falsa, tamen nil fit reliqui.

Est quaedam magna res secreta et tamen prorsus cottidiana. Omnes homines huius rei sunt participes, omnis eam novit, sed paucissimi de eâ umquam deliberant. Plerique homines eam nullo modo respiciunt, de eâ ne paululum quidem mirantur. Haec res secreta est tempus.

Sunt quidem calendaria atque horologia, quibus tempus mensuretur, sed hoc non multum rēfert. Nam omnis homo scit unam tantum horam sibi posse videri spatium temporis aeternum, sed interdum etiam momenti instar posse aufugere. Hoc pendet ab iis, quae illâ horâ occurrunt homini viventi. Nam tempus percipere est vivere. Vivimus autem corde.

Hoc autem ipsissimum nemo accuratius cognitum habebat quam Domini Grisei. Nemo melius noverat, quantum valeret hora, minuta, immo secunda vivendi quam illi.

At Domini Grisei hoc noverant tali ratione, quali sanguisugae noverunt sanguinem, eâdemque ipsâ ratione solebant agere. Illi consilia ceperant de tempore hominum. Quae consilia erant in longum concepta necnon diligenter praeparata.

Domini Grisei maximê id studebant, ne quis animadverteret, quale negotium agerent. Iidem ratione innotabili vitae urbis magnae incolarumque huius urbis infixi inhaerebant. Nemine animadvertente Domini Grisei paulatim et gradatim in dies altius se insinuantes hominum vitam usurpabant.

Illi omnem hominem noverant, qui aptus esset ad fines suos assequendos, diu antequam îdem aliquid suspicatus erat. Illi exspectabant aptum temporis momentum, quo fieri posset, ut eundem apprehendant. Necnon quantum poterant, curabant, ut hoc momentum temporis fieret.

Exempli gratiâ memorem Dominum Fusium tonsorem. Qui etsi non erat artifex capillorum illustris, tamen in viâ suâ erat bene famatus. Neque pauper erat neque dives. Eius taberna quae sita erat mediâ in urbe, erat parva; Fusius habuit tironem.

Aliquo die Dominus Fusius stabat ad ianuam tabernae suae exspectans emptores. Tiro autem cum ab officio vacaret, Dominus Fusius erat solus. Cum îdem vir pluviam viae cum strepitu incidentem aspectaret, dies erat nubilus, nubilus quoque erat animus Domini Fusii.

Qui cogitabat »Eheu me miserum, qui vitam absumam forfice crepante verba faciens lapsantia spumamque saponis peragitans. Quidnam est, cur vivam? Me mortuo nulla restabit mei memoria, quasi numquam vixissem«.

Domino autem Fusio nequaquam displicebat confabulatiuncula. Immo îdem valde amabat emptoribus sententias suas fusê explanare et audire, quidnam illis videretur. Neque ei displicebant crepatio forficis spumaque saponis. Îdem enim perquam gaudebat opere suo faciendo, praesertim cum sciret se hoc bene facere. Imprimis vix ullus tonsor melius quam Dominus Fusius sciebat aliquem virum sub mento contra pilum rasitare. At sunt quaedam momenta temporis, quibus haec omnia nihil valeant. Talia interdum accidunt cuivis homini.

»Semper falso vivebam« Dominus Fusius cogitabat. »Eheu qualis homo factus sum? Tonsorculus. Si aptam vitam degere possem, essem homo prorsus alius«.

At haec vita apta qualis esset, Dominus Fusius non certo scivit. Mente sibi finxit vitam alicuius hominis nobilem, splendidam, lautissimam, qualem admirari solebat periodica imaginea pervolutans.

»At« morosus cogitabat »tali rei non vaco, quia occupatus sum. Nam aptae vitae degendae necesse est vacare. Necesse est liberum esse. At ego per totam vitam meam ero captus forfice crepaci et garritu et spumâ saponis«.

Hôc momento temporis autocinetum notae melioris, coloris cinerei advectum ante ipsam Domini Fusii tabernam statutum est. Dominus quidam griseus escendit tabernamque intravit. Îdem vir chartophylacium coloris plumbei mensae ante speculum positae imposuit, petasum rotundum rigidumque ex unco vestiario suspendit, in sellâ rasoriâ consedit, codicillum e sacculo sumptum pervolutabat parvum sigarum griseum pulsatim fumans.

Dominus Fusius ianuam tabernae clausit, cum sibi videretur subito parvum conclave insolito frigescere.

»Quomodo vis tibi ministrem?« quaesivit animo perturbato. »Visne rasitari an tonderi?« addidit statimque post ipse sibi iratus est, quod quaesivisset parum decenter, quia dominus ille fuit cucurbitâ calvior. »Neutrum volo« dominus griseus dixit minimê subridens voce quadamtenus cinereâ, quae mirê expers erat soni. »Vêni mandatus a parsinâ temporali. Procurator sum numeri XYQ/384 (trecentesimi octogesimi quarti)/b. Scimus te velle apud nos condere computum parsorium«.

»Hoc mihi novum est« Dominus Fusius dixit animo etiam perturbatiore. »Ut verum confitear, usque nunc ne id quidem scivi, quod tale institutum exstat«.

»Hem, nunc quidem hoc scis« ille procurator respondit breviter. Codicillum pervolutans perrexit loqui: »Nonne es Dominus Fusius tonsor?«

»Rectê dicis me eum esse« Dominus Fusius respondit.

»Ergo recto loco sum« dominus griseus dicens libellum clausit. »Tu apud nos computum petivisti«. . . .

VOCABULA RARA ET RECENTIORA

He. = Helfer, Christian: Lexicon Auxiliare. Ein deutsch-lateinisches Wörterbuch. 3.Auflage. Saarbrücken 1991.

Ho. = Hoven, René: Lexique de la Prose Latine de la Renaissance. Leiden 1994.

Ge. 1 = Georges, Karl Ernst: Ausführliches Lateinisch-Deutsches Handwörterbuch. 14.Auflage. 2 Bände. Hannover 1976.

Ge. 2 = Georges, Karl Ernst: Ausführliches Deutsch-lateinisches Handwörterbuch. 7.Auflage. Leipzig 1882.

OL = Graesse/ Benedict: Orbis Latinus oder Verzeichnis der wichtigsten lateinischen Orts- und Ländernamen. 2.Auflage. Berlin 1983.

OLD = Oxford Latin Dictionary. Ed. Glare. Oxford 1982.

Sl. = Sleumer, Albert: Kirchenlateinisches Wörterbuch. Limburg a.d. Lahn 1926.

Va. = Váczy, Coloman: Dicționar Botanic Poliglot, București 1980.

***autocīnētum**, -ī n.: fr. auto, th. Auto.

He.327, s.v. Kraftfahrzeug.

***chartophylacium**, -i n. *Aktentasche*.

He.70, s.v. Aktentasche.

cinereus, -a, -um *aschengrau*.

OLD 317, s.v. cinereus.

cōdicillus, -i m. *Notizbüchlein*.

He. 399, s.v. Notizbuch.

computus, -i m. *Konto*.

He. 322 s.v. Konto.

***confābulātiuncula** –ae f. *Schwätzchen*.

Ho.77sq. (ERASMUS).

cucurbitā calviōrem esse *eine spiegelnde Glatze haben (verbatim: „kahler als ein Kürbis sein“)*. [APUL met.V 9,8 At ego misera primum patre meo seniore[m] maritum sortita sum, dein cucurbita calviorem et quovis puero pusillio[m]rem, cunctam domum seris et catenis obditam custodientem. – „Aber ich Arme habe einen Gatten erwischt, der erstens älter ist als mein Vater, zweitens kahler als ein Kürbis und knirpsiger als jedes Kind, und der das ganze Haus mit Riegeln und Ketten unter Verschluss hält“].

Domini Grisei *die grauen Herren*.

Dominus Fusius *Herr Fusi*.

forfex, forcicis f. *Schere*.

OLD 721, s.v.

garrītus, -us m. *Geschwätz*.

OLD 754 s.v.

+griseus, -a, -um *grau*.

Ho.154.

nīl fit reliquī (*die Rechnung geht auf*).

Ge.2, t.I, col.312, s.v. aufgehen: „...4) nichts übrig lassen: a) als t.t. der Arithm. = keinen Rest lassen: nihil reliqui od. nihil reliquum facere. ... es geht nicht auf, *aliquid reliqui est od. fit.“

nūbilus, -a, -um *wolkig, finster, trübe, grau*

cfr Ge. 1, II, col.1207, s.v. „...II) bildl.: 1) finster in Mienen...- subst., nubilum, -i n., trübe Wolken der Traurigkeit, ... sol etiam nubila humani animi serenat, Plin. ...4) umnebelt, in düsterer, finsterer Stimmung, mens PLAUT.cist.210.“

***parcīna temporālis** *Zeit-Spar-kasse.*

*parcina, -ae f. “Sparkasse”, ducitur a parcendo (parco, peperci, parsum, parcere “sparen”). cfr fodina, coqu-ina, lapi-cid-ina, of-fic-ina.

***periodicum imāgineum** *Illustrierte.*

He.281 s.v.

pervolūtō, -āre *(durch)blättern*

Ge.1, II, col.1665, s.v.

pīlus, -ī m.: **contrā pilum rāsītāre** *gegen den Strich rasieren.*

Ge.2, II, col.1191, s.v. Strich, I b): “...gegen den Strich (der Haare), contra pilum.

plumbeus, -a, -um *bleigrau.*

Va. 390, 854: PLUMBEUS, ...bleifarbig, bleigrau.

prōcūrātor, -ōris m. *Agent.*

He. 69, s.v. Agent.

***pulsātīm** (adv.) *stoßweise.* The Western Journal of the Medical and Physical Sciences, Band 6, Cincinnati, Ohio 1833, p.191: “On unwrapping the ankle, the blood flowed, *pulsatim* from two arteries”. - Dictionarium Aelii Antonii Nebrissensis, Gramatici, Cronographi Regii: Matriri 1792, p.659: “A empujones, o á toques, adverbio *pulsatim*”. - Quaedam de sanguinis differentia in morbis: Diss. inaug. ... Gustav Adolph Lauer - 1830- Seite 10: „Aliquoties equidem e vena, cui arteria subiacebat, *pulsatim* effluere sanguinem vidi...”

***pulsātīm fūmāre** *paffen.*

cfr Duden: paffen “stoßweise rauchen”.

rāsītō, -āre *rasieren.*

ratīō (sc. nummāria) *Rechnung.*

sanguisūga, -ae f. *Blutegel.*

Ge.1, II, col.2483.

sella rāsōria *Rasierstuhl.*

***sigarum, -ī n.** *Zigarre.*

He.634, s.v. Zigarre.

spūma sāpōnis. spūmam sāpōnis peragitāre *Seifenschaum anrühren.*

tīrō, -ōnis m. *Lehrjunge.*

He.345, s.v. Lehrling.

tondeō, totondi, tōnsum, tondēre *scheren, die Haare schneiden.*

tōnsor, -ōris m. *Friseur*
Ge.1, II, 3147, s.v.

***tōnsorcūlus**, -i m. *ein kleiner Friseur.*

cfr Fr. Rossetus: Dialogus apologeticus pro Caesareo partu in malevoli cujusdam Pseudoprotei dicteria, Parisiis 1590, p.28: „Quae sibi deberi t o n s o r c u l u s unus, et alter iure suo clamant fur tibi tota rapis.“

cfr Carlo Musitano, Opera omnia seu trutina medica, chirurgica, pharmaceutico-chymica, Genevae 1716, t.2, p.302: “Non est bardus chirurgulus, nec vilis t o n s o r c u l u s hac in nostra civitate, qui non se gloriatur cochleari argenteo cerebrum exemisse, et vulneratos, qui jam cum Charonte de nauulo pacisci credebantur, curasse“.

**Capitulum sextum Momonis in Latinum convertit et indicem verborum
composuit Nicolaus Groß d. 07. m.Apr. a.2013.**

**Reliqua pars Momonis Latinae invenietur in versione completâ,
quam in Domunculâ Leonis Latinae editum iri bene speramus.**

FABULAM MOMONIS A MICHAELE ENDE CONSCRIPTAM

IN LATINUM CONVERTIT

NICOLAUS GROSS



<http://www.leolatinus.com/>

HISTORIA BOMBINARUM

IV

PARS QUARTA



cfr Pars prima (EL 78), Pars secunda (EL 79), Pars tertia (EL 80)

De *Bombina variegata*



Bombina variegata iuvenilis
(quae supinata est, ut apparent colores ventris).

Ratio systematica

classis: *Amphibia*

ordo: *Anura*

superfamilia: *Discoglossoidea*

familia: *Bombinatoridae*

genus: *Bombina*

species: *Bombina variegata*

nomen scientificum:

Bombina variegata

(Linnaeus, 1758)

subspecies:

- *Bombina v.(varietas) variegata*
- *Bombina v. kolombatovici*
- *Bombina v. scabra*

Illa subspecies, quae prius appellata erat *Bombina v. pachypus*, nuper demum pro novâ specie habita et appellata est *Bombina pachypus* (i.e. «crassipes»)

BOMBINA VARIEGATA QUIBUS NOMINIBUS APPELLETUR

lat. **Bombina variegata**

fr. **sonneur à ventre jaune, crapaud sonneur à ventre jaune**

hisp. **sapillo de vientre amarillo** *catalanice* **gripau raucador de ventre gros,**

ital. **ululone dal ventre giallo.**

angl. **yellow-bellied toad,** *batavice* **geelbuikvuurpad,** *theod.* **Gelbbauchunke,**
suetice **gulbukig klockgroda.**

russice **Желтобрюхая жерлянка,** *ucrainice* **Кумка жовточерева,** *polonice*
kumak górski, *bohemice* **kuňka žlutobřichá,** *serbice* **Жутотрби мукач,**
croatice **žuti mukač,** *bulgarice* **Жълтокоремната бумка**

hungarice **sárgahasú unka**

sinice **多彩铃蟾**

iaponice **キバラスズガエル**

vietnamice **cóc tía bụng vàng**

SUPPLENDA (*cfr EL 80, p.21: Bombina bombina quibus nominibus appelletur*)

Doleo, quod in seriei bombinariae parte III nomina *Bombinae bombinae* Hispanicum et Lusitanicum non scripsi integra, nomen Sinicum parum distinctê. Ecce nomina completa:

hispanice **sapo de vientre de fuego europeo**

lusitanice **sapo-de-barriga-de-fogo**

sinice **红腹铃蟾**

Bombina variegata spectat ad *Amphibiorum* classis familiam *Bombinatoridarum* (at multis in conspectibus taxonomicis adhuc refertur in numerum *Discoglossoideorum*) et ad genus *Bombinarum*. Anurum hoc parvum verrucis acutis obsitum parte dorsali est inconspicua, cum eius pars ventralis sit lucido colore flavo monitorio. Haec species bombinarum etiam quibusdam in regionibus Europae mediae habitat et mansiones praefert lacunas lutosas aquationesque minores.

Bombina variegata a Societate Herpetologiae atque Terrariorum Scientiae Germanicâ¹ dicta est *Amphibium anni 2014* (bis millesimi quarti decimi).

Notae peculiares




Nota bene pupillas oculorum cordiformes!

¹ i.e. *Deutsche Gesellschaft für Herpetologie und Terrarienkunde*. [Lurch des Jahres 2014: Die Gelbbauchunke](#) (Zugriff 5. Dezember 2013).



Ecce exemplum *Bombinae variegatae* valde nigratum!



Ubi inveniuntur *Bombina variegata* (in regione viridi)
et *Bombina pachypus* (in regione caerulea)

Mares feminaeque longitudine sunt minimum 35 (triginta trium), maximum 56 (quingenta sex) milimetrorum; sed in Europâ mediâ longitudines plus 45 (quadraginta quinque) milimetrorum raro inveniuntur. Pars bestiae superior est fusci coloris lutei vel grisei, in regione cervicali interdum apparent angusti complexûs glandularum obscuriores et lucidae maculae dilutae. Pars bestiae inferior lateribus interioribus digitisque pedum manuumque inclusis est colore flavissimo vel arancio, intermixtis maculis areisve, quae sunt coloris plumbei vel nigri. Plerumque portio coloris flavi maior est parte dimidiâ (interdum inveniuntur etiam bestiae, quarum ventres sunt ferê ex integro flavi; sed etiam *Bombinae variegatae* prorsus nigrae sunt observatae). Omnia individua huius speciei inter se differunt formâ lineamenti; quo commodiores fiunt disquisitiones zoologicae. *Bombinae variegatae* sunt corpore compacto, minus planato quam corpus est *Bombinae bombinae*, et rostro rotundo. Pupilla earum est cordi similis, tympana auris extrorsus non conspicitur. Pars *Bombinae variegatae* superior numerosis verrucis obsita est, quibus insunt nigri aculei cornei horrentes.

Distributio *Bombinae variegatae* geographica

Bombina variegata est incola regionum montanarum collinarumque, quae sitae sunt in Europâ mediâ atque meridionali. Singillatim haec species bombinarum distributa est a Francogalliâ per Belgium, Bataviae partem meridionalem (Limburgum), Germaniam meridionalem mediamque, Helvetiam, Austriam, Italiae regionem in septentrione Padi flumini sitam (versus meridiem huius regionis invenitur *Bombina pachypus*), Bohemiam, Slovaciâ, extremam Poloniae marginem meridionalem, Dacoromaniam, Bulgariam, res publicas prioris Iugoslaviae, Albaniam usque ad Graeciam. In tractibus montium mediis Germaniae mediae meridionalisque, sed etiam in planitie Rheni superioris, *Bombina variegata* est quidem satis distributa, sed multis locis non nisi populationibus inter se disiectis. Limes distributionis actualis inest Saxoniae inferioris regioni, quae appellatur *Weser-Leinebergland* ([Landkreis Schaumburg](#)).

In regionis distributivae partibus orientalibus et meridionalibus (e.g. in Bohemiâ, Austriâ australi, paeninsulâ balcanicâ boreali) *Bombina variegata* habitationes suas partim communicat cum *Bombinâ bombinâ*. Itaque in his locis fieri potest hybridizatio harum specierum, quâ hybridae nascantur, quae notas habent utriusque speciei.

Habitationes et modus vivendi



Habitatio *Bombinae variegatae* typica (Badenio-Virtembergensis)



Ecce *positio lintriformis* (quae similis est lintri). Quâ positione terrore effectâ praedatores monentur de veneno *Bombinae variegatae* cutaneo.



Ecce amplexus lumbalis maris et feminae *Bombinae variegatae*.



Ecce ovula *Bombinae variegatae* stilo plantae affixa.



Ecce gyrinus *Bombinae variegatae*



Complures *Bombinae variegatae* iuveniles, quae metamorphosi modo demum finitâ terram petunt; nota bene bombinae medio loco positae adhuc restare caudam larvalem.

Bombina variegata est unum ex amphibiiis cum aquationibus artē coniunctis. Originaliter haec species fuit incola typica silvarum ripariarum^a, rivorum fluviorumque. His in locis *Bombina variegata* incolebat aquationes minores iterum iterumque exortas. Etiam in biotopis suis subsidiariis, quos incolit in regionibus humano cultu civilique mutatis, haec bombina praefert temporarias aquationes minores et minimas sōlo luteo insitas, qualia sunt vestigia machinarum vectoriarum, lacunae, fossulae aquosae. Plerumque tales aquationes sunt vegetationis rarae et vacant speciebus competitricibus et praedatoribus. Quia tales aquationes celeriter calefiunt, ova et larvae bombinarum bene crescunt. Haec species primicola¹ hodie invenitur in lapidinis, foveis luti silicumque necnon in plateis milites exercendi.

Bombinae variegatae iuveniles, quā sunt mobilitate, celeriter incolunt biotopos denuo exortos. In terrā hae bestiolae se abdere solent sub lapides, ligna emortua, in saxorum lacunas fissurasve. Praecipuē in crepusculo et nocte hae bombinae venantur insecta (qualia sunt coleoptera, formicae, diptera e.al.). In numerum bestiarum, quae *Bombinas variegatas* praedantur, referendae sunt notonectae², corixae³, larvae libellularum maiorum, trituri⁴, gasterostei⁵ (qui devorant gyrynos harum bombinarum), necnon aves, e.g. picae⁶ et merulae⁷ (quae deglutiunt bombinas iuniores et seniores).

Si quod periculum imminet, *Bombina variegata* interdum utitur positione lintriformi⁸. In eādem dorsum videtur excavari, ut margines ventris colorati membrorumque latera interiora appareant e loco superiore conspecta. Colore praedatores praemonentur, ne aggressi imbuantur veneno cutaneo, quod a bombinā secernitur. Hominibus hoc

^a **silva riparia** Auenwald. Dr. Karl Berger (Hg.), Mykologisches Wörterbuch . 3200 Begriffe in 8 Sprachen: Deutsch, Englisch, Französisch, Spanisch, Latein, Tschechisch, Polnisch, Russisch. Jena (VEB Gustav Fischer Verlag) 1980. cfr p.36, 165: „(D) Au(en)wald – (E) riparian forest, bottom forest – (F) forêt fluviale, forêt riveraine – (S) bosque de vega, soto – (L) **silva riparia** – (Č) niva, lužní les – (P) łęg, las łęgowy – (R) пойменный лес м.“

¹ **speciēs +primicola** Pionierart; angl. pioneer species; fr. espèce pionnière

² ***nōtonecta**, -ae m. Rückenschwimmer.

³ ***corixa**, -ae f. Ruderwanze.

⁴ ***tritūrus**, -ī m. Molch.

⁵ ***gasterosteus**, -ei m. Stichling.

⁶ **pīca**, -ae f. Elster.

⁷ **merula**, -ae f. Amsel.

⁸ **positiō *lintriformis** Kahnstellung. (quae similis est lintri, i.e. naviculae).

venenum, quod appellatur *bombininum*, non est periculosum, sed eorum tela mucosa bombinino vehementer irritatur.

Propagatio prolis et ontogenesis individualis

Voces petitoriae⁹ marum *Bombinae variegatae*, qui audiuntur vere exeunte et aestate ineunte, sunt soni fusci, sed sonori: „uh ... uh ... uh“. Quia haec species contra ac *Bombina bombina* expers est saccorum vocalium, eius voces submissae tantum sunt. Sed sequentiae sonorum quadragies (40 x) in minuto repetuntur ideoque saepius quam a *Bombinâ bombinâ*.



0:00



Audi vocem *Bombinae variegatae* petitoriam

<https://de.wikipedia.org/wiki/Datei:Gelbbauchunke3.OGG>

Vocatio ovorumque partus (periodi sunt maximum tres in anno) saepe stimulantur imbribus copiosis, quia saepe talibus demum temporibus aequationes minimae praefereendae exstant. Mares feminas amplexantur non post pedes anteriores (ut solent facere bufones veri aut pleraeque ranae), sed in regione coxali.

Glaebulae laxae binorum, maximum tricenorum ovorum a pari bombinarum affiguntur culmis graminum submersis similibusque structuris; femina in summâ potest 120 (centum viginti) vel maximum 170 (centum septuaginta) ova in anno excludere. Ova in parte superiore sunt medii coloris fusci, in polo inferiore lucidê fusci, diametro sunt 1,5 (unius – virgula – quinque) vel maximum 2 (duorum) milimetrorum, integumenta gelatini 5 (quinque) vel maximum 8 (octo)

⁹ vōcēs petītōriae *Paarungsrufe*.

milimetrorum. Tempus ova pariendi praecipuum in Europâ mediâ durat a mense Maio usque ad Iunium.

Gyrini excluduntur iam post duos aut tres dies. Limbus pinnae superior larvarum veteriorum, quae maximum sunt 55 (quingenta quinque) milimetra longae, non latius se porrigit quam ad corporis partem mediam; pars finalis caudae est rotundata; cauda, si comparas cum trunco, brevis est. Hae bestiolae colore fundamentalis sunt sordidè griseo. Duratio ontogeneseos larvalis pendet a temperaturâ circumiectorum; plerumque est intra spatium 41 (quadraginta unius) et 67 (sexaginta septem) dierum. Bombinae iuveniles metamorphosi finitâ longitudinem habent 12 – 16 milimetrorum. Unâ aut duabus hibernationibus factis bombinae iuveniles pubescunt prolemque propagare incipiunt. Aliquando bombina capta vivens aetatem assecuta est 27 (viginti septem) annorum.

Bombinae variegatae quae pericula immineant

Species *Bombinae variegatae* praecipuè periclitatur biotopis amissis, e.g. lacunis aquationibusque completis, viis silvestribus pavendis, sed etiam successione naturali biotoporum primocolorum (praesertim fruticum abundantia). Habitationibus insulatis sive fragmentatis (e.g. viis struendis vel agriculturâ intensivâ), populationes bombinarum una ab alterâ seiunguntur ideoque impediuntur permutatio genetica inter populationes facienda et admigratio externa. Itaque facultas supervivendi talium populationum insularum *Bombinae variegatae* deminuta est.

(Quinta pars sequetur)

HISTORIAE BOMBINARUM PARTEM QUARTAM COMPOSUIT

NICOLAUS GROSS

ECCE LIBRI LEONIS LATINI

Permittas, quaeso, ut nuntium adiungam minus gratum: pretia discorum, qui a Leone Latino praebentur vendendi, ex decennio (sic!) non exaucta - proh dolor – nunc valdê augenda sunt (denis euronibus). Interim enim cum pretia materiarum quoque multo exaucta sint, tum praecipuê disci libellique discis subiungendi non conficiuntur neque involvuntur nisi magno cum labore.

Restat, ut afferam titulos pretiaque librorum typis impressorum, qui hōc tempore apud Leonem Latinum prostant venales:

- | | |
|---|---------|
| 1) CRABATUS (Otfried Preußler, Krabat)..... | 49,00 € |
| 2) FRAGRANTIA (Patrick Süskind, Das Parfum)..... | 42,00 € |
| 3) RECITATOR (Bernhard Schlink, Der Vorleser)..... | 45,00 € |
| 4) HOTZENPLOTZIUS (Otfried Preußler, Der Räuber Hotzenplotz)..... | 25,00 € |
| 5) ARANEA NIGRA (Jeremias Gotthelf, Die schwarze Spinne)..... | 22,00 € |

PARVUS NICOLAUS (René Goscinny, Le Petit Nicolas) non êditur in domunculâ Leonis Latini, sed in Aedibus Turicensibus, quae appellantur «Diogenes».

GLOSSARIUM FRAGRANTIAE et PERICULA BARONIS MYNCHUSANI – proh dolor! – sunt divendita. Utinam nobis contingat, ut aliquando edantur iteratis curis.

Habeas nos excusatos, quod situm interretialem (i.e. anglicê »website« nondum restauravimus novaque pretia ibidem nondum indicavimus.

Ceterum, cara Lectrix, care Lector, bene scias oportet Leonem Latinum non esse megalopolium, quo – ut ita dicam - rapidissimê eiectantur multae myriades librorum vilissimae, sed domunculam potius virtuaalem quam realem, in qua creantur κειμήλια, id est res parvae et rarae et carae. Res parvae enim sunt disci compacti aut libelli typis editi palmares; rarae sunt editiones, quae centuriam tantum complectantur exemplorum; carae sunt hae res omnes, quia cordi sunt Leoni Latino recordanti horas illas innumeras, quibus operam dedit illis creandis.

Cara Lectrix, care Lector, utinam omne opusculum a Leone Latino confectum sit Tibi KTHMA EΙΣ AEI.

INDEX DISCORUM LEONIS LATINI

NR	Num. mandata-telae	ISBN	TITULUS	AUCTOR	TRANSLATOR	ANNUS	FORMA	AMPLI-TUDO	PRE-TIUM
1	00104	978-3-938905-00-5	FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA	Anonymus (Old Indian)	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
2	00104 A	978-3-938905-15-9	FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA – Libri audibiles	Anonymus (Old Indian)	Nikolaus Gross	2005	Audio	21 min.	€ 22,90
3	00204	978-3-938905-01-2	TRES FABULAE EDGARII ALLANI POE: CATTUS NIGER - RANUNCULUS - PUTEUS ET PENDULUM	Edgar Allan Poe	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	33 pp.	€ 27,50
4	00304	978-3-938905-02-9	ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	6 pp.	€ 17,90
5	00304 A	978-3-938905-16-6	ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE – Libri audibiles	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	Audio	6 min.	€ 20,90
6	00404	978-3-938905-03-6	MEMENTO MORI	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
7	00404 A	978-3-938905-17-3	MEMENTO MORI – Libri audibiles	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2005	Audio	20 min.	€ 21,90
8	00504	978-3-938905-04-3	DE CRAMBAMBULO	Marie von Ebner-Eschenbach	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	14 pp.	€ 19,50
9	00604	978-3-938905-05-0	DE DINOSAURIS	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM pdf	16 pp.	€ 19,00
10	00704	978-3-938905-06-7	SUDATORIUM VENERIS	Diogenes Anaedouus	-----	2004	CD-ROM pdf	11 pp.	€ 19,50
11	00804	978-3-938905-07-4	PERICULUM FRANCISCI	Diogenes Anaedouus	-----	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
12	00904	978-3-938905-08-1	NUPTIAE ABDERITANAE	Bertolt Brecht	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	21 pp.	€ 22,00
13	01004	978-3-938905-09-8	TESTAMENTUM REYNERI BERLBYN	Henricus van den Lande de	-----	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,50

				Raelt					
14	01104	978-3-938905-10-4	DE SANCTO NICOLAO DEQUE VIRO NATALICIO	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM	21 pp.	€ 22,00
15	01204	978-3-938905-11-1	FABELLAE GRIMMIANAE 1	Jacob Grimm/ Wilhelm Grimm	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
16	00105	978-3-938905-12-8	ROMULUS MAGNUS	Friedrich Dürrenmatt	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	49 pp.	€ 31,90
17	00205	978-3-938905-13-5	DE THILO CUSTODE FERRIVIAE	Gerhart Hauptmann	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
18	00305	978-3-938905-14-2	HISTORIA AGATHONIS (LIB.1)	Christoph Martin Wieland	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	15 pp.	€ 19,50
19	00405	978-3-938905-19-7	WERTHER IUVENIS QUAE PASSUS SIT	Johann Wolfgang von Goethe	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	82 pp.	€ 38,90
20	00505 A	978-3-938905-22-7	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 1 – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	40 min.	€ 21,90
21	00605 A	978-3-938905-18-0	SOMNIUM SCIPIONIS A CICERONE SCRIPTUM – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	30 min.	€ 20,90
22	00705 A	978-3-938905-23-4	CAESARIS BELLUM GALLICUM 1 – Libri audibiles	C.I. Caesar	-----	2005	Audio	55 min.	€ 22,90
23	00106	978-3-938905-21-0	AUTOBIOGRAPHIAE LATINAE	Nikolaus Gross	-----	2006	CD-ROM pdf	87 pp.	€ 48,00
24	00206	978-3-938905-20-3	DISQUISITIO CHEMICA ACIDULARUM BERGENSIUM ET GOEPPINGENSIVM	Karl Friedrich Kielmeyer	Nikolaus Gross	2006	CD-ROM pdf	66 pp.	€ 38,00
25	00306 A	978-3-938905-24-1	CAESARIS BELLUM GALLICUM 2 – Libri audibiles	C.I. Caesar	-----	2006	Audio	61 min.	€ 22,90
26	00406 A	978-3-938905-25-8	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 2 – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2006	Audio	41 min.	€ 21,90
27	00506 A	978-3-938905-26-5	EPISTULAE A SENECA AD LUCILIUM SCRIPTAE 1 – Libri audibiles	L.A. Seneca	-----	2006	Audio (2 CDs)	88 min.	€ 27,90
28	00107 A	978-3-938905-27-2	ASINUS AUREUS AB APULEIO SCRIPTUS	Apuleius	----- --	2007	Audio	55 min.	€ 23,90
29	00207	978-3-	OBSIDIO SAGUNTI A	Livius	-----	2007	Audio	53 min.	€ 23,90

	A	938905-28-9	T.LIVIO DESCRIPTA						
30	00307	978-3-938905-29-6	FABELLAE GRIMMIANAE II	Jacob Grimm/ Wihelm Grimm	Nikolaus Gross	2007	CD-ROM pdf	58 pp.	€ 32,90



**CARA LECTRIX, CARE LECTOR, BENE VALE,
USQUE AD SEPTIMANAM PROXIMAM !**

**HANC EPISTULAM LEONINAM
CENTESIMAM UNDETRICESIMAM**

SENDEN IN OPPIDULO BAVARIAE SUEBICAE PERFECIT



die Dominicâ Palmarum, d.9. m.Apr., a.2017

Nicolaus Groß



LEO LATINUS

<http://www.leolatinus.de/>